



## **Vita Et Doctrina Christi Domini**

**More, Henry**

**Antverpiae, 1649**

XLV. In Encœniis conantur Christum Iudæi lapidare. Ioan. 10. 22.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56545)



necesse est.) August. vide plura apud Gregorium de Rege, &c. quam ipse similitudinem transfert ad iudicium extremum, in quo difficulter homo respondet vnum pro mille.

XLV.

In Encœniis conantur Christum Iudæi  
lapidare. Ioan. 10. 22.

1. **F**Acta sunt autem Encania in Hierosolymis, & hyems erat, & ambulabat IESVS in templo, in postica Salomonis. Feria 4. post Dom. Pass.  
3 Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei, quousque animam nostram tolles? Si tu es Christus dic nobis palam. Respondit eis IESVS, loquor vobis & non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me, sed vos non creditis quia non estis de oïbus meis: quia scilicet non vultis mihi tanquam Pastori vestro subijci. Nam  
2. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod de-



528 DOCTRINA ET MIRACULA

*dit mihi maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei, ego & Pater unum sumus. Ambrosius.* Cum dicit, Ego & Pater, reuelatur æqualitas, cum dicit, unum sumus, vnitas declaratur. Æqualitas Patrem Filiumque distinguit; vnitas Patrem Filiumque non separat: Nescit vnitas ordinem, gradum nescit æqualitas ) & August. "Gignendo dedit vt æqualis esset, hoc est, quod maius omnibus est.)

Ambr. tr. 3.  
de Spir. S.  
c. 18.

Aug. tr. 48.  
in Ioan.

3. "Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respondit eis IESVS: Multa bona opera ostendi vobis à Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Iudæi, de bono opere non lapidamus te; sed quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum. Ambrosius." Non capiunt fidei magnitudinem angusta impiorum pectora.) At "Dominus qui non patiebatur quod nolebat pati, & non est passus nisi quod volebat pati, adhuc eos lapidare cupientes alloquitur.

Ambr. sup.

Aug. sup.

4. Respondit eis IESVS: Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, Dii estis? Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura, Quem  
Pater



*Pater<sup>2</sup> sanctificauit, &<sup>3</sup> misit in mundum, vos dicitis quia blasphemias, quia dixi filius Dei sum? Si non<sup>4</sup> facio opera Patris mei nolite credere mihi; si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite: ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est. & ego in Patre. Quarebant ergo eum<sup>5</sup> apprehendere, & exiuit de manibus eorum. August.* Iudæi intellexerunt Aug. sup. quod non intelligunt Arriani. Dominus autem vidit eos non ferre splendorem veritatis, & eum temperauit in verbis.) & infra, Vtinam apprehenderent, sed credendo, & intelligendo, non sæuiendo & occidendo: Non enim apprehenderunt, quia manus fidei non habuerunt.)

5. Et abiit trans Iordanem, in eum locum ubi erat Ioannes baptizans, primum, & mansit illic; & multi venerunt ad eum, & dicebant, quia Ioannes quidem signum nullum fecit, omnia autem quaecunque dixit Ioannes de hoc vera erant, & multi crediderunt in eum. Beda.

Beda in 6.  
Marci.

Quantus Iudæorum contra Dominum furor extiterit, ex omnibus penè locis Euangelij docemur; Ioannem de quo dictum est,



530 DOCTRINA ET MIRACVLA

quia signum fecit nullum, à mortuis potuisse resurgere, nullo attestante credebant; IESVM autem, virum approbatum à Deo virtutibus & signis, &c.)

XLVI.

Parabola Ovis & Drachma.

LUC. 15.

Dom. 3. post  
Pentecost.

1. ERANT autem <sup>1</sup> appropinquantibus ei Publicani & peccatores, ut <sup>2</sup> audirent eum, & <sup>3</sup> murmurabant Pharisei & Scribae dicentes, quia hic peccatores <sup>4</sup> recipit & manducat cum eis

2. Et ait ad illos parabolam illam dicens: Quis ex vobis <sup>1</sup> homo qui habet centum oves, & si perdiderit <sup>2</sup> unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in <sup>3</sup> deserto, & vadit <sup>4</sup> ad illam quae perierat, donec inueniat eam, & cum inuenerit eam, imponit in <sup>5</sup> humeros suos gaudens, & veniens domum conuocat amicos & vicinos dicens, Congratulamini <sup>7</sup> mihi quia inueni ouem meam quae perierat. Dico vobis quod ita gaudium erit in Caelo super <sup>8</sup> uno peccatore poenitentiam agente, quàm super nonaginta novem iustis qui non indigent poeni-